

Biblioteka Jagiellońska
stdr0024434


V
B J
C

IN FUNERE

REVERENDISSIMI PATRIS

ANTONINI BREMONDII

GENERALIS PRÆDICATORUM ORDINIS

MAGISTRI

ORATIO

Habita XVIII. Kalend. Quinctil. An. MDCCLV

à JOANNE ALOYSIO BONGIOCHIO

CLER. REG. SCHOLARUM PIARUM

In Novo Collegio Calasanctio Eloquentiæ Professore.

ROMÆ

Ex Typographia Hieronymi Mainardi.

SUPERIORUM FACULTATE.



REIMPRESSUM

Jn Typographia S. R. M. Monasterji Pocza: Ord: S. BASILII M.

Curâ Conventûs S. Montis Rosariani Ordinis Prædicatorum.



ORATIO.


UAMQUAM ea ſit humanæ vitæ conditio, ut anguſtis finibûs circumſcribatur; & incerti adeò eventus valetudinis, ut unicuiqué noſtrûm ſemper de morte cogitandum ſit; ea demum naturæ communis fragilitas, ut quotidie non magis vivere, quàm interire, videamur; tamen hæc univerſa calamitas non mediocri conſolatione leniretur, ſi ii ſaltem homines immortales eſſe poſſent, quorum tanta extitit virtus, ut, quum de omnibus bene meruerint, in eorum ſalute ac vita, omnium ſalus atqué felicitas contineatur. Verùm quis erit expers adeò humanitatis, tam ignarus rerum, tam nihil unquam nec de ſua, nec de communi utilitate cogitans, qui poſſit lacrymas, & doloris impetum cohibere, quum non humiles modò vulgareſqué homines interire videat, qui otio ignaviæqué dediti vitam inglorii traduxêre; ſed illos etiam ab omni parte ſpectatiſſimos, qui, quum & pietate, & do-

ctrina, & sapientia maximè floruerint, ad tuendam firmandamquê cæterorum felicitatem à Deo non commodati potiùs, quàm donati esse videbantur? Itaquê vestrûm omnium quilibet facilè intelligit, Auditores, quam jure ac meritò verba facturus in hoc tam gravi, ac luctuoso rerum miserrimarum apparatu animô penitus me concidisse profitear. Qui enim gravissimé non perturber, cujus oculis obversatur & in parietibus squallor, & altum in ore populi silentium, & piissimorum virorum jam erumpentes lacrymæ, & funebris pompa, & exequiæ, & faces; quæ, dum P. Antoninum Bremondium (proh Deus immortalis quem virum, quantaque virtute præstantem!) dum P. Antoninum Bremondium universi Prædicatorum Ordinis moderatorem amplissimum è vivis ereptum subjiciunt, in hoc uno funere probatissimum pietatis exemplar, literarum reipublicæ decus eximium, virum denique publicæ utilitatis studiosissimum extinctum esse testantur. O acerbam, ac plané vix ferendam calamitatem! Præclarissimus & à sanctitate, & ab amplitudine, & à doctrina nunquam satìs laudatus Prædicatorum Ordo parentem amisit optimum, vigilantissimum moderatorem amisit suum. Verùm, quia vir ille sanctissimus ita semper se gessit, ut non magìs suis, quam aliis etiam vixerit; omniumquê ordinum studia & morum suavitate, & prudentia, & liberalitate sibi mirificè conciliaverit; Ordinis unius, quamquam eximii calamitas, calamitas bonorum omnium est, Auditores; atquê adeò grave est vulnus, ut frustra immensum tanti viri desiderium, atquê enormis jacturæ casum doloris magnitudine exæquari posse credamus. Itaque lugeant religiosissimi viri, qui illum patris loco habuerunt; doleant boni omnes, qui fidelissimo actionum, sententiarum, voluntatumquê socio & comite caruerunt; mœreant nobilissimæ virtutes illæ, quas ab ineunte ætate ad extremum usque vitæ spiritum diligentissimè excoluit, quibus nihil potuit contingere acerbiùs, nihilquê majore lacrymarum contentione deflendum

dum. Quamquàm, Auditores, quid longiùs in luctuosissima tanti infortunii non recordatione minùs, quàm inani lamentatione, detinemur? Quare diu contristari debemus de dormientibus, sicut & cæteri, qui spem non habent? Si Bremondius hanc lucis usuram reddidit, sapientis animi sit id humanis casibus naturæqué communis fragilitati tribuere. Quia tamen summorum hominum nec brevis vita dicenda est, nec immaturus interitus, si tamdiu vixerint, donec quidquid sibi aliisqué debebant, solverint; magnô erectoqué animô esse nos jubet rerum ab eo gestarum splendor, quæ tot tantæqué sunt, ut non inopinatô importunequé sublatus, sed naturam ipsam explevisse vivendi satietate videatur. Igitur hæc nos una consolatio sustentet, hæc mœrore perculsos prostratosqué erigat animos, hæc lacrymas doloremqué omnem abstergeat, quod Antoninus Bremondius ita vixerit, ut satis sibi vixerit, satis suis, satis omnibus. Satis sibi vixit, quòd omni religiosi viri pietate defunctus sit; satis vixit suis, quòd iis regendis præfectus omnes moderatoris optimi partes diligentissimé expleverit; satis vixit omnibus, quòd omnium ordinum studiosissimus universos privatis publicisqué officiis perpetuò sibi devinxerit.

Et quoniam pietas est fundamentum omnium virtutum, hinc exordiatur oportet oratio mea, ut Antoninum Bremondium quòd omni religiosi viri pietate defunctus sit, satis sibi vixisse intelligatis. Quód quidem dum præstare conabor, nolite putare Auditores, velle me ea persequi diligentiùs, quæ, si minùs fortasse necessaria sunt, at certé, quum sunt prolata, meritô suô commendantur. Quare in tanta rerum maximarum copia, nihil dicam de pueritiæ laudibus, quam in Oppido primùm (Cassidium vocant) agri Massiliensis amœnissimo, ubi ab honestissimis parentibus liberaliterqué institutis fuerat procreatus; cùm deinde Arelate, tum demum Massiliæ eleganter traduxit, non modò in iis,

quæ moribus ad virtutem componendis inserviunt; sed etiam in optimarum artium studio, quibus illa ætas ad doctrinam sapientiamqué effingitur. Ad egregiam Bremondii adolescentiam oculos mentemqué convertite, in qua non modò nihil unquam est reprehensum, sed laudata sunt omnia: atqué in primis ad firmam illam animi constantiam, quâ carissimus, non jam parentibus (utrumque enim infans amiserat) sed affinibus, sed propinquis, sed aviæ spectatissimæ feminæ, quam, non secus ac parentes, pietate propè singulari observavit; quum magnum sui desiderium omnibus reliquisset, quintum vix supra decimum ætatis annum agens, oblitus est populum suum, & domum patris sui, ut exhiberet semetipsum hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, & in sancti Maximini Provinciæ Tolosanæ Collegio in simplicitate cordis, & innocentia spiritûs, sanctissimis Prædicatorum Familiæ institutis se devinciret. Quâ verò animi contentione religiosæ vitæ tyrocinium inierit, quâ alacritate sit persequutus, quâ virtutis commendatione perfecerit; satìs apertè declarat anxius ardor ille ac vehemens, quô leges omnes atqué præcepta, quibûs susceptæ vitæ ratio continebatur, non memoriâ modò comprehenderet, verùm etiam sedula exercitatione altiùs in mente imprimeret, ad quorum exemplar deinceps actiones omnes, cogitationesquè componeret. Absolutô verò tyrociniô, quum sacramentô arctiùs pietati se obstrinxisset, quæ fuerit in posterum ejus religio, quæ integritas, quæ temperantia, quæ liberalitas, quæ modestia, quæ fides, dicant omnes, quibuscum domi familiarissimè vixit; quibus utinam ex hoc ipso loco disserere, atqué per ejus laudes excurrere concederetur! Quàm multa enim, quàm præclara, quàm splendida de tanto viro proferrent, quæ, si audiantur, plurimum admirationis non minus sint habitura, quàm gloriæ? Etenim sese in lucem amplissimam explicaret eximia Bremondii modestia, cujus

in agen-

in agendo æquitas, cujus pudor in dicendo, cujus comitas cum gravitate conjuncta aliorum animos ad se rapiebat; qui, licèt & doctrina, & prudentia, & dignitate plurimis antecelleret; de aliis tamen gloriosiùs, de se veró humiliter demisseque sentire visus est; qui longissimè à quopiam provocando violandoquè verbis, vel scriptô abhorrens; quum aliorum, quæ vel sibi non arriderent, vel minùs veritati consentirent, opiniones refelleret, scriptor moderatissimus Auctoribus semper pepercit, non conflavit invidiam, non protulit nomina. Quam quidem in summis etiam viris desideratam aliquando modestiam tacitus præterire non potuit, & præconiô fraudare suô vir planè doctissimus Ludovicus Muratorius (a), cujus splendida atqué immortalis futura est in omne literarum genus fama meritorum. Illustraretur incorrupta ejus justitia, quâ nec partium studiô, nec sui amore potuit ullo unquam tempore ab iis, quæ debita, & recta putasset, aut suscipiendis retardari, aut perficiendis dimoveri. Erumperet morum facilitas ac mansvetudo, quâ sibi illatas aliquando injurias (quis enim, licèt optimus, vitæ suæ cursum sine ulla doloris, aut injuriæ offensione conficiat?) non modó nunquam ultus est, aut conquestus, quum posset; sed ne significavit quidem acceptas. Quid veró de ejus liberalitate dicerent? qui ex annuo amplissimoqué censu, qui præsidium erat, & ornamentum dignitatis suæ, nihil pænè decerpebat, quod in privatum suum commodum cederet; sed in aliorum utilitatem religiosè conferre studens aut opitulabatur pauperibus, aut præclara suorum ingenia ad liberalissimas Facultates impensiùs excolendas propositô præmiô incendebat, aut Ordinis universi gloriam dignitatemquè curabat. Quid de effusa illa ac nunquam intermissa animi contentione? quâ, quum naturæ quodam

 quasi

(a) *Antiqu. medii ævi Dissert. 65. Tom. V.*

quasi impetu ad severiores disciplinas raperetur, in iis ita profecit, ut vix quinque, & viginti natus annos in Sancti Maximini Collegio Philosophiam summa cum laude publicè profiteretur; & eam in sacris præsertim doctrinis assequeretur peritiam, quam multa & maxima ab eo edita, & communi sapientum plausu recepta monumenta testantur. Quid tandem de vitæ integritate? cujus amore non modò ab omnibus, quæ honestum virum vel minimùm dedecerent, studiosissimè abhorruit; solitus & peccata quotidie piô dolentiquè animô aperire; & palam dicere singulos, quos vivebat, dies tyrocinium sibi ad mortem esse; sed etiam instituti sui leges præscriptionesquè constanter adeò diligenterquè observavit, ut earum semper religiosus habitus sit & custos, & exemplar, & vindex. Quod quidem tum vel maximè ostendit, quum in Martinica Americæ Insula, bis contractô ex pestilentia morbô, ad supremum pænè vitæ spiritum adactus fuit. Etenim ad comprimendam morbi vim, temperandumquè æstum, nec Medicorum consiliis, nec suorum precibûs adduci potuit, ut laneam subuculam exueret; non secus ac si turpe sibi putasset ex hominum vita aliis indutum vestibûs demigrare, quàm quæ Ordinis sui legibûs præscribebantur. Atquè hinc facile erit intelligere, Auditores, cur Bremondius modestiâ, integritate, liberalitate, fide, doctrinâquè insignis, religiosæ vitæ Tyronibus instituendis, & ad maturam consummatamquè virtutem effingendis componendisquè præfectus fuerit: quo in munere omnium difficillimo quanta cum laude se gesserit, splendidô gravissimôque testimoniô suô comprobavit vir plane sanctissimus P. Petrus Paullus ejusdem Familiæ alumnus; qui, quamquàm ætate gravis, pietate insignis, & virtutum omnium ornamentô præstans efflorescceret; tamen ad Bremondii famam sempiternam (dicam rem pænè incredibilem) rursus in

religio-

religiosæ vitæ Tyrones, qui sub illius disciplina vivebant, referri voluit; ut tanto sub magistro, tantoqué sub duce, vitæ suæ cursum mirabilis ad laudem, & propè singularis absolveret. Hæc de Bremondii pietate delibata à me potiùs sunt, quàm exposita: quæ quidem nemo arbitretur me ideo verbis extollere, & exornare dicendo, quòd Ordo meus hoc semper gloriosissimum sibi duxerit, ut cum spectatissimo Prædicatorum Ordine, à quo innumeris beneficiis cumulatissimè devinctus est, conjunctissimè viveret. Honesto cordatoqué viro semper indignum putavi privatum publico officio anteferre, & aliorum gratiam assentationibus aucupari; putaremqué tanti viri memoriæ acerbum à me vulnus infligi, si ea verbis exaggerarem quæ ita per se ampla sunt, ut, si oratione complectare, verendum sit, ne imminuas potiùs, quàm efferas, ne potiùs extenues, quàm exornes. Quem enim fugiant tam crebra, tamqué præclara solidæ virtutis indicia, non domesticis tantum, sed publicis inusta notis veritatis? Atqué hujus quidem rei testes mihi esse debent quotquot eundem in Urbe hac florentissima, in qua tot ánnos versatus est habitans in oculis, aut agnoverunt, aut illo usi sunt familiariter. Quod si taceant, aut dissimulent, loquetur, ac palam faciet longè latequé pervagata famæ celebritas, quâ non vicinis modò, sed longinquis etiam fuit notissimus. Quis enim Bremondium non coluit, non dilexit, non observavit? Quanti non fecerunt complures nostræ ætatis eruditissimi viri, qui libris editis, amplissimoque ejus nomini inscriptis, ipsum studiorum suorum auspicem selegerunt? (b) A5 Quanto

(b) *Scilicet Doctissimi viri P. Abbas Trombellius partem alteram adnotationum Marci Marini in Psalmos; P. Callogerá Tom. XLIII. Opusc. Philolog.; P. D. Joseph Catalanus libros de Magistro Sacri Palatii, & de Secretario Indicis, & P. Mamacchius Tom. I. Antiquitatum Christianarum.*

Quanto in eum amore non extitit nobilissimus piissimusqué Aureliæ Dux, qui non modò per literas cum Bremondio sæpissimè, familiarissimequè colloquebatur; sed moriens, quum Prædicatorum Familiæ, quam semper habuit carissimam, Bibliothecam suam non minùs librorum copiâ, quam pretiô selectissimam, testamentô legasset; ad arbitrium Bremondii contulit, ex Ordinis sui Collegiis cui vellet, adscribere? Quot ex amplissimo Purpuratorum Patrum Senatu gratiam, & familiaritatem non inivit? Quibùs amoris, & benevolentiæ officiîs non est prosequutus potentissimus & Galliarum, & utriusquè Siciliæ, & Sardiniæ, & Magnæ Britanniæ Rex, in primisqué Maria Clementina uxor hujus sanctissima, cujus hortatu Christianæ doctrinæ commentarium Italico sermone vulgavit? Quàm non erat facilis, quàm non benigna humanitas, quâ illum Benedictus XIII. Pontifex Optimus Maximus complectebatur; quem sæpe ad privata colloquia congressusquè secum esse jubebat, & consiliorum suorum participem, ac socium admittere aliquando non dubitabat? Quibûs denique, & quàm singularibûs beneficiîs longo annorum usu non ornavit Bremondium BENEDICTUS XIV. Pontifex item Maximus, & ingeniorum æstimator æquissimus, quem dignitate, doctrinâ, sapientiâqué veré summum ad Christiani Orbis felicitatem, florentem ac sospitem vivere sibi boni omnes gratulantur; quiqué, quanti faceret Bremondium, non verbîs modò, sed librîs etiam suîs scriptîs ad immortalitatem non semel publicè testatus est? Quô quidem gravissimô de Bremondii virtute judiciô nec præstantius ullum proferri poterat, nec optari splendidius. Etenim palam prædicat (atqué, ut omnes exaudiant, clarissima voce dicam) palam prædicat *& propter religiosas virtutes, eximiamqué doctrinam sibi inprimis gratum atqué acceptum; & de fami-*

familia sibi commissa in omnibus , ac præsertim ob literarios labores optimé meritum ; & omnium virtutum , doctrinarum , disciplinarumqué splendore conspicuum ; dignum propterea , qui *non solùm Pontificiam suam ,* (quæ una per se omnem laudem ejus absolvit) *sed cunctorum etiam Ordinum hujus Urbis gratiam benevolentiamqué sibi conciliaverit .* (*a*) Sed quid plura commemoro ? Quàm carus esset omnibus acceptusqué Bremondius , nos ipsi quidem plané sensimus , quotquot in hac Urbe versamur . Quum enim quatuor ab hinc annos improvisô gravissimoqué morbô correptus ingentem omnibus de salute sua metum injecit ; nonne suspensa atqué solicita tota civitate , vidimus nobilissimos omnium ordinum viros , unumquemqué ex Purpuratis Patribus spectatissimum , Magnæ Britanniæ Regem , ipsum denique Pontificem Maximum ad illum confluere ; ad eum accedere ; ipsum lecto jacentem invisere ; perturbationem , quam ex ejus periculo conceperant , commemorare ; de recuperata valetudine gratulari ; hortari denique , ut deinceps saluti suæ vellet diligentiùs consulere ; ne , qui omni religiosi viri pietate defunctus satis sibi vixerat , suis immaturus decederet ? Atqué hoc potissimum in causa fuit , Auditores , cur dignus æternæ memoriæ vir , & maximarum virtutum commendatione celebratus , aliis demum regendis præficeretur , posituqué esset super candelabrum , ut luceret omnibus , qui in domo forent . Jam pridem enim ostenderat , qualis quantusqué is erat futurus , qui omnia in se uno complectebatur , quæ talem virum ornant atqué perficiunt . Ostenderat in solemnibus totius Ordinis Comitiis anno MDCCXXV . Bononiæ habitis , ubi , quum de rebus gravissimis & ad rem Christianam in Americanis insulis augendam firmandamque spectantibus , in eo amplissimo summorum virorum conventu

B

(a) *Vide Act . Comit . Gen . Bononiæ hab . ann .* 1748. *pag* 16. *itemqué Acta quinque Martyrum Sinensium pag,* 273. & 275.

ventu palam rogatus eſſet ſententiam, tantâ ſe præbuit ſapientiâ conſiliique maturitate præditum, ut omnium ſibi amorem admirationemqué conciliaverit. Oſtenderat & Romæ, ubi in Caſanatenſi Bibliotheca Theologicorum interpres, & pro Galliarum Provinciis cooptatus in Quinqueviros, qui unà cum ſupremo moderatore univerſum Ordinem adminiſtrant, ea in illis procurandis enituit fide, prudentia, integritate, ut ſapientiſſimo maximeqqué viro Thomæ Ripollio, ſupremo tunc Ordinis Magiſtro, apprime carus extiterit; eôqué è vivis ſublato, tandem meruerit, ut unanimi Electorum conſenſione, & incredibili cum omnium ordinum, tum Pontificis Maximi lætitia ac plauſu unus ex omnibus, atqué ex magnis ſummus deligeretur, qui tanto viro in totius Ordinis adminiſtratione ſuccederet; ut ea pietatis, doctrinæqué ornamenta, quibûs nonniſi paucos privatus ditaverat, in alios quoqué diffunderet; quod quidem à Domino factum fuit, ac propterea viſum eſt mirabile in oculis omnium. Atqué debet hoc loco inclytus clariſſimuſqué Prædicatorum Ordo ſibi gratulari quodammodo, quod talem in Bremondio moderatorem ſortitus eſſet, qui veterem ejus gloriam conſervaret attente, &, ſi fieri potuiſſet, nova laudis acceſſione ſtudioſiſſimè amplificaret. In vinea enim Domini conſtitutus quô unquam tempore ab iis ſuſcipiendis, perficiendiſqué receſſit, quæ muneris ſui ratio atqué inſtituta poſtulaſſent? Teſtes religioſiſſimos appello viros, quibuſcum ille domi in ſpiritu, & lenitate familiariſſimè vixit; quiqué conſiliorum ejus participes, quòd præſentem intuebantur, illius mentem ſenſuſqué, & os cernebant, incredibile dictu eſt, quibûs proſequerentur ſtudiîs, quibûs efferrent laudibûs, quâ benevolentiâ complecterentur. Revera quid de illo optandum ſupererat, in quo maxima erant omnia; quiqué ſumma in Ordine auctoritate potitus cæteris præire ſtuduit, ut, quæ verbîs inculcaret quotidie, confirmaret exemplis? Nemo Dei Optimi

ptimi Maximi cultus, sacrarumqué cærimoniarum studiosior, qui ut res divina rite sanctèqué, ac omni cum dignitate fieret, sedulò, perpetuòqué curavit. Nemo in observandis religiosæ vitæ institutis diligentior; qui, quamquàm una virtute duce in splendido honoris fastigio constitutus; quamquàm innumerìs gravissimìsqué distentus negotiis; quamquàm infirma sæpe usus valetudine; tamen de pristino vivendi more nihil unquam remiserit. De omnibus benemerendi cupidus, singulos diligebat ut filios, non verbo, & sermone, sed opere, & veritate: quumqué nitidam constantemqué frontis jucunditatem præseferret, rectæ conscientiæ judicium, quâ nihil timent, qui nihil admiserunt; eorum ad se rapiebat animos aurea oris, & vocis svavitate; sibiqué arctiùs liberalitate obstringebat, quâ illis ita præsto erat, ut nemo ab eo tristis unquam discesserit. Prudentiæ verò consiliiqué plenus, nullìs unquam fractus laboribùs, in providendo acer & industrius, ad res suscipiendas promptus, paratus ad persequendas, ad conficiendas expeditus, quàm solicitè, quàm industriè, quàm fortiter Ordinis universi gloriam, utilitatemqué curare visus est gloriam, quam unicè præ oculis, præ manibus, præ mente habebat; utilitatem, cui perpetuó inservivit, totumqué se ostentavit? Sed quis singula, quæ in Ordinem suum beneficia contulit, oratione complecti possit? Ille ad barbaras, remotissimasqué gentes ex suis complures virtute, doctrinâqué instructissimos misit, ut verâ solidaqué doctrinâ, cui Prædicatorum Ordo semper studuit quàm qui maximè, perditas hominum mentes à vitiis corruptisqué moribus ad veræ religionis cultum feliciter revocarent: atqué ut sacris peragendis ministrandisqué parati quovis tempore essent atque expediti, verbìs hortatus est, pecuniâ adjuvit, exemplôqué inflammavit suô. Etenim cùm fortè fortunâ ad Sanctæ Agnetis extra muros venisset, nec adesset Sacerdos, qui ægrotantem femi-

feminam ſacrô reficeret Viaticô: ille, qui ſupremus tunc erat Magiſter Ordinis, hilarî libentîquè animô id miniſterii obivit. Ille & ſolertiâ, & auctoritate, quâ valuit, valuit autem plurimùm, perfecit tandem ut aurea ac propè cœleſtis S. Thomæ doctrina, cujus ſemper vixerat tenaciſſimus, etiam extra ſui Ordinis fines latiùs propagaretur. Ille, qui res geſtæ quinque ex inclyti Ordinis ſui alumnis fortiſſimorum hominum, recens ſuâquè memoriâ pro Chriſto à Sinenſibus immaniſſimè trucidatorum, ut literis conſignarentur, curaverat, ex quorum numerô Petrus Martyr Sanſius, & Franciſcus Serranus; ille idem impetravit, ut Joanni Licio, Joannæ Urbevetanæ, Marcolino Forolivienſi ex eadem familia alumnis ſanctiſſimis, qui omni virtutum laude clariſſimi multò antè deceſſerant, publicô decretô ſolemnes Beatorum honores decernerentur. At quo labore, qua ſolicitudine, qua liberalitate? qui aliis in idem conſpirantibus omnem non modò operam pollicebatur ſuam; ſed etiam aliquando pro neceſſariis ſumptibus ultrò liberaliterquè fidem ſuam obligavit. (*a*) Ille Acta in comitiis Ordinis Generalibus colligi juſſit; ſelectiſſimoſquè viros conſtituit, qui univerſam Ordinis ſui hiſtoriam, cui adornandæ jam pridem ipſemet manus admoverat, conſcribendam ſuſciperent; ut ad immortalem Ordinis ejuſdem gloriam pateret omnibus, quanta inde Chriſtiana res recepiſſet & ornamenta dignitatis, & præſidia ſtabilitatis ſuæ. Quid? Ne quidquam omitteret, quominùs omnes optimi moderatoris partes expleviſſe videretur, non ne ſcholas inſtituit, in quibus religioſi adoleſcentes de amœnioribus literis erudirentur? Non ne

quà

(a) *Litt. ad Cl. Virum P. Pium Thomam San-Vitalium datis 5. Non. Octobr. 1753. ſcribit Bremondius: circa la cauſa del B. Aimone Taparelli dei Conti di Lagnaſco non ſi ſgomenti, che quanto alle ſpeſe magiori da farſi in Roma, ſono io pronto a ſoccombervi.*

quà exemplis, qua consiliis, qua præmiis egregia, & ad optima quæquè comparata eorundem ingenia ad linguarum Græcæ & Hebraicæ, ad Matheseos, sacrarumquè historiarum studia impulit incenditquè; non ut liberalissimæ hæ disciplinæ apud eos reviviscerent (quí enim reviviscere poterant, quæ nunquam apud illos defecerant?) sed ut alacriùs excolerentur; & Prædicatorum Familia, quæ à prima usque origine in omni doctrinæ genere ita efflotuit, ut quovis tempore cum cæteris de principatu contenderit, harum ope paucas inveniret pares, majorem haberet neminem? O virum verè maximum, atquè immortalis memoriæ dignissimum! Quid amplius per Deum immortalem ab eo potuisset optari? quum, ex quo ad summam totius Familiæ suæ curandam accessit, nihil unquam cogitârit, nihil viderit, nihil egerit, quod ad augendam illius gloriam splendoremquè non pertineret; semperquè ita vixerit, ut satís non modò suis, sed satìs vixerit omnibus; quippe qui omnium ordinum studiosissimus universos privatîs publicîsqué officiís perpetuó sibi devinxerit. Quod dum dico, sinite, Auditores, orationem meam exultare, quòd de Bremondii in omne genus hominum meritis ea in urbe disseram, eôquè audiente populô, qui liberalitatis ejus testis, & particeps semper extitit. Quare de Bremondio divinum illud usurpabo libenter: *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me* (a): In voluntate sua deduxit eum Dominus, quum repente Prædicatorum præficiens Ordini, tanquam fidelem servum prudentemquè constituit super Familiam suam, ut illius felicitatem splendoremquè & defenderet, & augeret. Tenuit veró manum dexteram ejus, ut extenderet illam ad pauperes. Quàm crebra veró, quàm munifica misericordiæ suæ in egentes argumenta Bremondius non edidit? qui familias complures rei domesticæ inopiâ laboran-

(a) *Ps.* 72. 24.

laborantes secretò alebat ; accurrebatqué ad pauperum levandas angustias propere adeó atqué studiosè, ut calamitosis ad opem salutemqué sufficeret, Bremondium eorum calamitates non ignorare : quumqué suum nihil esse putaret, nisi quod eorum inopiæ large effusèquè donare posset ; mirum nemini esse debet, si ad eum frequentes quotidie confluerent, quem parentem beneficentissimum æquè ac amantissimum agnoscerent, colerent, venerarentur. Tenuit manum dexteram ejus, quâ scriptor egregius, tot editîs in lucem' librîs, literarum Rempublicam locupletaret, & in aliorum utilitatem quod sine fictione didicerat, sine invidia communicaret. Quod quanta cum laude sit consequutus, ut palam faciam, Auditores, non ea proferam, quæ graviter eleganterqué scripsit de inclyta Gusmana Gente, ut illius antiquitatem nobilitatemqué assereret, & vindicaret. Ut unusquisque intelligat, quantum doctrinâ valuerit, satìs superqué sit oculos animumqué ad immensum illud opus octo voluminibûs comprehensum convertere ; quô Bremondius summo cum labore, ingenii acumine, solertiâqué pænè incredibili splendida atqué amplissima, quibùs summi Pontifices Prædicatorum Familiam quovis tempore honestârunt, decreta collegit, digessit, perpetuisqué adnotationibûs ita opportunè ditavit illustravitqué, ut sapientum omnium judiciô non de suis magìs, quàm de sacra historia omnibusqué literis optimé promeruerit. (*a*) Tenuit manum dexteram ejus, quum, licèt Romæ versaretur, tamen dies noctesquè de communi omnium salute cogitans, consilium iniit nonnisi summo homine dignum publicæqué utilitatis studiosissimo, quô novam Berolini plantatam Domini vineam, Ordiniqué commissam suo, omni virium conatu, & ingenti etiam collata pecunia juvaret ;

atqué

(a) *Vid. Ep. Enc. P. Thomæ Ripollii operis Tom. I. præfix. pag.* 10.

atque aleret ; ad eamqué excolendam noviſſimos operarios mitteret, qui ſuam doctrinam, patientiam, longaminitatem, fidem, propoſitumqué aſſequuti, illorum hominum aures à fabulis ad veritatem converterent, & fructus uberrimos virtutis, honeſtatiſqué colligerent. Quod dum memoria repeto, à lacrymis temperare vix poſſum. Aliud enim recordor magnificentius multo ſtudii ejus de univerſis benemerendi argumentum, quod in hunc locum à me reſervandum putavi, quum ſpeciem quandam præſeferat dignitatis atqué amplitudinis. Poteſt ne quiſpiam in promerendo diligentiorem ſe exhibere, quam ſi pro communi ſalute caput ſuum devoveat? Atqui majorem caritatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Agè verò, quà benefica voluntate erga alios moveretur Bremondius, quæſo, diligenter attendite. In S. Maximini Collegio, pacatô otiô, ſummâqué uſus Bremondius tranquillitate, Philoſophiæ ſtudiis diligentiſſimam navabat operam; totuſqué in eo verſabatur, ut obſcura quæqué ingenio pervaderet, & adoleſcentes, quos erudiendos ſuſceperat, non ad fucatam atqué inanem, ſed ad veram expreſſamqué doctrinam informaret. Quum repente eô permotus animi ardore, quô ad optima quæque rapiebatur, novam ſibi aſperioremqué vitæ rationem ſuſcipiendam ratus, quà precibûs, quà lacrymîs, à ſupremo Ordinis ſui moderatore impetravit, ut in Americæ Inſulas, quæ ſub Gallorum ditione ſunt, navigaret, ibiqué pro barbarorum ſalute totîs artubûs elaboraret. Quæ verò tum fuerit ejus dexteritas, quæ fortitudo, quæ diligentia, quæ conſtantia, ut errores, qui animis jamdiu inſederant ac vetuſtate inveteraverant, eradicaret omnino atque deleret; ut libidines comprimeret, & vocibus, exemploque vinciret ſuo; ut mores ad ſanctitatem componeret; ut efferos homines ab errore ac turpitudine abductos ad veritatem alliceret, inflammaret, impelleret; efficeretqué, ut res

divina

divina pura ſemper, integra, & incorrupta mente, & voce coleretur; nôrunt omnes quotquot habuit laborum comites atqué participes. Hæc tamen miſſa facio; quòd ardor Bremondii nullîs coercendus anguſtiîs ad nobiliora longè contenderit. Profectò bis ea loca peſtilentiâ laborarunt. Quem autem tunc ſe geſſiſſe Bremondium arbitramini? Eô exarſit ægrotis miniſtrandi ſtudiô, ut non ſemel, ſed iterum contractô morbô, parum abfuerit, quin prudens, & ſciens ſe in perſpicuam mortem conjiceret: (*a*) animamqué fortiter libenterqué pro amicis ſuis poſuiſſet, in quo tota Chriſtiani hominis virtus perfectioqué continetur, niſi à ſuis, quorum dicto ſemper audiens fuit, in Galliam revocatus fuiſſet, & ad majora in dies perficienda divinô propê conſilio reſervatus. O verè præclarum facinus, & nulla unquam laudis magnitudine exæquandum? cui Bremondius non ſecus ac ſupremo actui ſe oſtentaret oportuit, ut omnibus, pro ſalute quorum bis morti caput objecerat, ſatìs vixiſſe judicaretur. Quare celebrabuntur cæteræ ejus laudes: hoc tamen erit illi ſummum atqué præcipuum, hoc gloriam ejus omnem perficiet, quòd oblitus ſui, quòd ſuorum ſtudioſiſſimus, quod univerſorum felicitati devotus, conſummatus in brevi expleverit tempora multa; quippe qui ſatìs ſibi vixerit, ſatìs ſuis, ſatìs omnibus. Itaquè, ſi velimus non quamdiu vixerit, ſed quomodo vixerit, animadvertere, non erit dolendum, Auditores, quòd vi reſidis ſanguinis inopinatò correptus, cui ſanando diligentiſſimus remediorum uſus impar omnino fuit, ad ſupremum vitæ ſpiritum adactus ſit; & poſt edita plurima pietatis patientiæqué ſigna, tandem vi morbi oppreſſus, tres & ſexaginta natus annos, inter ſuorum lacrymas, extrema humanæ vitæ officia perſolverit. Tempus enim jam erat, ut, qui curſum feliciter conſummaverat, repoſitam ſibi coronam juſtitiæ aſſequeretur: ſpera-

re enim

(a) *Vid. Act. quinque Martyr. Sinen. pag. 251. & ſeq.*

re enim licet, quod Deus, qui in voluntate sua illum deduxerat, tenueratqué manu dexteram ejus, cum gloria tandem susceperit. Igitur id unum superest: ut egregias ejus virtutes, quas non sine admiratione aut vidimus, aut audivimus, nobis non ad intuendum magis quàm etiam ad imitandum, proponamus: non solùm enim doloris acerbitatem ingenti consolatione leniemus; sed eundem in nobis quotidie florentem, sospitem, redivivum, eâqué prorsus immortalitate, quâ, si fieri potuisset, paulò antè optabamus, donatum esse intuebimur.

